

Stanisław Seliga

De Invectiva Hieronymiana

Collectanea Theologica 16/2, 145-181

1935

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](#), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

DE INVECTIVA HIERONYMIANA.

*Non est crudelitas, pro Deo pietas!*¹⁾
(Hieron. epist. 109, 3).

Iam ante annos triginta vir Francogallus J. Brochet in eruditissimo libro suo, qui inscribitur *Saint Jérôme et ses ennemis*²⁾, ex parte historica luculenter exposuit demonstravitque illas pugnas vehementissimas, quas presbyter Stridonensis cum hostibus fidei catholicae gesserat. Quem librum cum perlegisset, operaे pretium mihi visum est etiam quaestionem, cui grammaticus ille nihil fere satisfecerat, scilicet quomodo vir sanctus adversarios impugnasset, via ac ratione inquirere, praesertim cum anno proximo disputatiunculae sciscitanti, *quibus contumeliis Hieronymus adversarios carpisset*³⁾, operam dedissem. Qua analysi nunc demum absoluta spero aliqua, quae ad animum illius celeberrimi scriptoris ecclesiastici melius intelligendum nec non ad eius artem belli cum adversariis gerendi pertineant, pro mea parte virili allaturum esse.

Hieronymum natura sua virum apprime excitabilem et ad iram propensum fuisse iam primo obtutu, cum eius litteras et invectivas vel strictim inspicimus animadvertere possumus; qua de re ceterum nonnulli viri docti iam recte monuerunt⁴⁾.

¹⁾ Hieronymi opera laudo secundum Vallarsium in edit. Migne (Patrologiae cursus completus. Series latina. T. XXII—XXX. Parisiis).

²⁾ Étude sur la querelle de Saint Jérôme avec Rufin d'Aquilée et sur l'ensemble de son oeuvre polémique. Paris 1905.

³⁾ Eos XXXIV 1932/33, p. 395—412. Quam disputatiunculam animum induxi nunc latius eovlvere.

⁴⁾ Cf. e. g. P. Monceaux, *Histoire de la littérature latine chrétienne* [Collection Payot], Paris 1924, p. 94: „C'était un homme très bon, très droit, tout dévoué à ses amis, mais emporté, nerveux, tête, susceptible et ombrageux, voyant partout des ennemis et des complots“.

Itaque scriptor ecclesiasticus, qui imprimis fidei catholicae sincere dogmata inter homines servanda curaret, magna vi obtrectatores eorum insectabatur minimeque eis, tamquam suis ipsius hostibus, parcebant⁵⁾). Quo fiebat, ut iterum ac saepius doctor Ecclesiae acerrima proelia, vocum contumeliosarum cura prope neglecta⁶⁾), cum his adversariis gereret multamque vitae suae partem in hoc bello continuo absumere cogeretur.

CONTRA LUCIFERIANOS.

Cum Hieronymi invectivas ordine maxime chronologico tractare instituerim, initium mihi faciendum esse videtur a dialogo *contra Luciferianos*; qui liber, ut videtur, ab Hieronymo circa annum 380 aut paulo post in deserto Chalcidico exaratus est⁷⁾.

Luciferianorum haeresis, ut notum est, a Lucifero Calaritano episcopo manavit; qui vir singularis severitatis existimabat Christianos, qui in Ariminensi concilio Arianae fidei subscrisissent, tametsi poenitentes, quin etiam eos, a quibus sub poenitentia accepti essent, amplius communionem cum orthodoxis Christianis inire non posse⁸⁾.

Diversa hac in re fuit presbyteri Stridonensis aliorumque Christianorum mens animusque; itaque vir sanctus haereticorum assertiones aliquoties acrius impugnat.

Iam in principio dialogi doctor Ecclesiae, cum de colloquio cuiusdam orthodoxi cum quodam Luciferiano narrat, verba haereticici contemptim ‘odiosam loquacitatem’ et ‘caninam⁹⁾’ facundiam

⁵⁾ Hieron. *prol. in dial. c. Pelag.* I: „breviter respondebo: nunquam me haereticis pepercisse et omni egisse studio, ut hostes Ecclesiae mei quoque hostes fierent“.

⁶⁾ Cf. Seliga, op. laud. p. 396 sqq.

⁷⁾ Cf. admonitionem in hunc dialogum in *Patr. Lat.* XXIII, col. 163—64. Secundum G. Grützmacherum (*Hieronymus. Eine biographische Studie zur alten Kirchengeschichte*. Leipzig 1901, vol. 1, p. 101) dialogus scriptus est circa annos 382—85.

⁸⁾ Cf. Sulpicius, *Hist.* 2, 45: „Nam in tantum eos, qui Arimi fuerant, condemnavit, ut se etiam ab eorum communione secreverit, qui eos sub satisfactione vel poenitentia reciperent“.

⁹⁾ Canis apud antiquos imprimis impudentiae exemplum habebatur (Cf. S. Hammer, *Contumeliae, quae in Ciceronis invectivis et epistulis occurunt, quatenus Plautinum redoleant sermonem*. Cracoviae 1905, p. 28).

appellat (*c. Lucif. I*): „Proxime accidit, ut quidam Luciferi sectator cum alio Ecclesiae alumno odiosa loquacitate contendens, caninam facundiam exercuerit. Asserebat quippe universum mundum esse diaboli et, ut iam familiare est eis dicere, factum de Ecclesia lupanar“.

Tum cum quodam irridendi studio *de veste* in Sardinia¹⁰⁾ vulgo usu veniente mentionem facit (*ibd.*): „At ille e contrario rationabiliter quidem, sed importuno et loco et tempore defen-debat non sine causa Christum mortuum fuisse nec ob Sardorum tantum mastrucam¹¹⁾ Dei filium descendisse“.

Per convictum, quo melius Luciferi sectatores laedi possint, contemptim haec de Sardinia eiusque incolis sub finem dialogi scribit (*ibd.* 15): „Nimirum adversarius potens concessit Christo Iberam excetram: lurides homines inopem provinciam deditnatus est possidere“.

Sardis etiam *falsitatis* studium exprobrare videtur. Nam cum Luciferianus cum orthodoxo consentiri videatur, haec ex ore orthodoxi audiuntur (*ibd.* 14): „Gratulor interim tibi et Christo meo gratias ago, quia animo bono a falsitate¹²⁾ Sardorum ad totius orbis te saporem contulisti“.

Cicero cum de testibus Sardiniensibus, qui contra M. Scaurum prodierunt, verba facit, dicit (*frgm.* 38¹³⁾): eius nationis tantam esse vanitatem, ut libertatem a servitute nulla alia re nisi mentiendi licentia distinguere possit. Cf. praeterea *frgm.* 42: „Fallacissimum genus esse Phoenicum omnia monumenta vetustatis atque omnes historiae nobis prodiderunt. Ab his orti Poeni multis Karthaginiensium rebellionibus, multis violatis fractisque foederibus nihil se degenerasse docuerunt. A Poenis admixto Afrorum genere Sardi non deducti in Sardiniam atque ibi constituti, sed amandati et repudiati coloni“.

¹⁰⁾ Lucifer, auctor haeresis, in Sardinia natus esse perhibetur.

¹¹⁾ Mastruca erat vestis e pellibus ferinis male olens, qua Sardiniae incolae utebantur. Cf. Quintil. Inst. 1, 5, 8: „Mastrucam, quod est Sardum; irridens Cicero ex industria dixit“.

¹²⁾ Sardi homines mendaces vulgo credebantur.

¹³⁾ Laudo Ciceronem hic et alias secundum editionem a I. G. Baiter-C. L. K a y s e r curatam Lipsiae 1860.

ADVERSUS HELVIDIUM.

Helvidius quidam, homo laicus¹⁴⁾, ut videtur, et Arianae haeresis confessor, aliquot locis Scripturae Sacrae perpensis librum exaravit, in quo contendebat Mariam Virginem, postquam Jesum Christum peperisset, alios filios Josepho marito genuisse; praeterea probare conatus est matrimonio minime virginitatem praestare¹⁵⁾.

Adversus Helvidii libellum Hieronymus respondit, ut suspicari licet, circa annos 382—384¹⁶⁾.

Iam in exordio invectivae adversus Helvidium Hieronymus adversario suo *rusticitatem animumque omni cultu carentem obicit*; eius autem eloquentiam plane loquacitatem vel quandam convictionum rabiem vocat. Quod exordium contemptum adversarii et quandam irrisiōnē evidentissime spirare videtur (*adv. Helv.* 1): „Nuper rogatus a fratribus, ut adversus libellum cuiusdam Helvidii responderem, facere distuli, non quod difficile fuerit hominem rusticānum et vix primis quoque imbutum litteris¹⁷⁾ super veri assertione convincere, sed ne respondendo dignus fieret, qui vincentur. Huc accedebat, quod verebar¹⁸⁾, ne homo turbulentus et solus in universo mundo sibi et laicus et sacerdos (qui, ut ait ille loquacitatem facundiam existimat et maledicere omnibus bonae conscientiae signum arbitratur) accepta materia disputandi amplius inciperet blasphemare et quasi de sublimi loco in totum orbem ferre sententiam neque, quia veritate non posset, laceraret conviciis“.

¹⁴⁾ Cf. Hieron. *adv. Helv.*, et Grützmacher, *op. laud.* 1, 270. Ipsum Helvidium Hieronymo ignotum fuisse patet ex *adv. Helv.* 16: „albus ater...“

¹⁵⁾ Cf. admonitionem in hunc librum in Patr. Lat. (XXIII, col. 191—92). De Helvidio haec tradit Gennadius (*Patr. lat.* LVIII, col. 1077, cap. 32): „Helvidius, Auxentii discipulus, Symmachi imitator, scripsit quidem religionis studio, sed non secundum scientiam, librum neque sermone neque vera ratione nitidum... Cuius pravitatem Hieronymus arguens libellum documentis Scripturarum sufficienter adversus eum edidit“. De Helvidii natura et doctrina fusius Am. Thierry, *op. laud.* (infra) p. 295.

¹⁶⁾ Cf. A. Thierry, *La société chrétienne à Rome et l'émigration romaine en Terre Sainte* (Revue d. deux mondes 1864, 34 p. 297) et Grützmacher, *op. laud.* 1, 101.

¹⁷⁾ Cf. Demosthenes, *d. cor.* 128, ubi Aeschinem liberalis institutionis expertem autumat ingeniique stuporem ei obicit.

¹⁸⁾ „verebar, ne“ legitur in nonnullis vetustioribus editionibus. (Cf. notam 2 in *Patr. Lat.* XXIII, col. 193).

Itaque vir sanctus eius rabiem¹⁹⁾ contundendam sibi proponit, ut „discat aliquando reticere, qui nunquam didicit loqui“. In libro eius se deprehendisse dicit *vitia sermonis ridiculamque eloquentiam* (*ibd.* 16): „Praetermitto vitia sermonis, quibus omnis liber tuus scatet. Taceo ridiculum exordium. O tempora! o mores! Non quaero eloquentiam, quam ipse non habens, in fratre Craterio requisisti“. Quo acrius eius stultitiam linguamque debilem derideat, proverbio de camelo saltitante eum scite percutit (*ibd.* 18): „In illud nunc impetum facio, in quo tu virginitatem et nuptias comparando, disertus esse voluisti. Risimus in te proverbium „Camelum videmus saltitantem“... Quod proverbium de iis dicitur, qui conantur aliquid facere inepte vel indecore“.

Tum „*imperitissimi*“ voce eum alloquitur et propter insolitum in Virginem impetum cum illo Herostrato comparat (*ibd.* 16): „Imperitissime hominum, ista non legeras et toto Scripturae pelago derelicto ad iniuriam Virginis tuam rabiem contulisti in exemplum eius, quem fabulae ferunt, cum vulgo esset ignotus et nihil boni posset facinoris excogitare, quo nobilis fieret, Diana incendisse templum“.

Alias adversario *furorem caecum, mentem vesanam tum impudentiam miram* exprobrat (*ibd.* 13): „O furor caecus et in proprium exitium mens vesana!...“ *Ibd.* 8: „Ac ne impudenter neges ista ignorasse... Licet tu mira impudentia haec in Graecis codicibus falsata contendas...“²⁰⁾.

Quo clarius eius naturam volubilem et perversam notet, Hieronymus eum *cum angue lubrico comparat*; haud dubium, quin insit hic etiam *despiciendi* studium ac acerbitas (*ibd.* 14): „Sed ne in aliquo cavilleris et te quasi lubricus anguis evolvas, testimoniorum stringendus es vinculis, ne querulus sibiles et dicas te magis argumentationibus tortuosus quam Scripturarum veritate superatum“.

ADVERSUS SABINIANUM.

Cum Hieronymus certior factus esset *Sabinianum* diaconum *quendam* virginem sacram ad stuprum fugamque sollicitavisse, epistulam ad eum dedit, hortans, ut in monasterio poeniteret. Cui

¹⁹⁾ Cf. *ibid.* 16: „ad iniuriam Virginis tuam rabiem contulisti“.

²⁰⁾ Cf. Demosthenes, *d. cor.* 22: εἰς τοῦθ' ἤχει ἀναδείξας, ὡστε ἐπόλμα λέγειν...“

epistulae inest praeterea obiurgatio vehemens totaque propter indignationis vim et iram sinceram invectivam redolere videtur. Data est Bethleem incerto tempore, sed certe post annum 389²¹⁾.

Iam initio epistulae sanctus pater nimiam *corporis curam* his verbis ei obicit (*epist.* 147, 1): „Deum ventrem vis habere pro Christo: servis libidini, gloriaris in carne et confusione tua et quasi pinguis hostia in mortem propriam saginari“. Contemptum fastidiumque Sabiniani exprimit porro presbyter venerabilis hoc modo (*ibid.* 2): „Vegeto es corpore et novus Antichristi apostolus, cum in una notus fueris civitate, transgrederis in aliam. Non indiges sumptibus, non plaga forti percuteris et cum hominibus, qui non sunt, ut tu, velut irrationalia iumenta, corripi non mereris. Propterea datus es in superbiam et vestimentum tuum est facta luxuria et quasi ex arvina pingui et quodam adipe eructans verba mortifera, non te respicis esse moriturum nec umquam post expletam libidinem poenitentia remorderis“.

Tum corporis habitusque eius nimium cultum depingit: ira dolorque gravis Hieronymi verba, ab imo pectore prolata, inficere videntur (*ibid.* 8): „Hoc plango, quod te ipse non plangis, quod te non sentis mortuum, quod quasi gladiator paratus Libitinae, in proprium funus ornaris. Amiciris linteis, digitos anulis oneras, dentes pulvere teris, raros in rubentia calvaria digeris capillos, taurina cervix toris adipeis intumescens nec quia propter libidinem fracta est, inclinatur. Super haec unguenta fragras, mutas balneas et contra renascentes pilos pugnas; per forum ac plateas nitidus ac politus amator incedis²²⁾). Facies meretricis facta est tibi, nescis erubescere“.

Tullius Cicero quoque saepius habitum cultumque corporis adversariorum depingit. Nonnunquam etiam corporis vitia, ut Vatinii strumam illam, facilem sibi materiam ad iocandum arripuit. Cum Vatinius testis in P. Sestii causa iudices admoneret, ut „medicinam adhiberent rei publicae“, Cicero per iocum acute ei respondit (*p. Sest.* 135): „Ii medentur rei publicae, qui excsanct pestem aliquam, tamquam strumam civitatis²³⁾). Alio loco utitur Cicero verbo ‘dirumpendi’, quod non sine quodam obliquo

²¹⁾ Grützmacher, *op. laud.* 1, 99 sqq.

²²⁾ Cf. *ibid.* 9: „Fluant paululum de oculis lacrimae inter sericum et linteamina, qnibus tibi videris fulgidus et formosus“.

²³⁾ Cf. praeterea Cic. *epist. ad Att.* 2, 9.

deridendi studio dictum esse videtur (*in Vat.* 16): „C. Cosconius, iudex noster, quem tu dirumperis, cum aedilicium vides“. Deinde aliquoties palam de struma eius loquitur, ut (*ibid.* 10): „Cum mihi hic respondes aut ita impudenter, ut manus a te homines vix abstinere possint, aut ita dolenter, ut aliquando ista, quae sunt inflata, rumpantur...“ Tum tamquam serpentem eum depingit (*ibid.* 14): „Repente te tamquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus, intulisti“; *ibid.* 39: „Strumae denique ab ore improbo demigrarunt et aliis iam se locis collocarunt“. Apud Quintilianum *Inst.* 1, 4, 14 de quodam teste legimus, quem Cicero, quod primam litteram nominis sui (Fundanii) dicere non posset, irrisit. Neque est, quod miremur Ciceronem ad huius modi insectationem descendisse, cum ipse haec inter alia de iocandi usu praecipiat (*d. orat.* 2, 239): „Est etiam deformitas et corporis vitiorum satis bella materies ad iocandum“; *ibid.* 2, 266: „Valde autem ridentur etiam imagines, quae fere in deformitatem aut in aliquod vitium corporis ducuntur cum similitudine turpioris“²⁴⁾.

Quamvis Sabiniani corpusculum bene curatum sit, nimia tamen *cordis hebetudine* excellit (*epist.* 147, 3): „Tibi ridicula²⁵⁾ forte videantur, qui comoedis et lyricis scriptoribus et mimis Lentuli delectaris, quamquam ne ista tibi quidem pree nimia *cordis hebetudine* intelligenda concesserim“.

Deinde *vitae iam peractae flagitia* ei exprobrat, *impurum helluonemque* vocans (*ibid.* 4): „Non tibi illa nunc replico, quod plures virgines stuprare narreris, quod a te nobilium violata matrimonia, publico caesa sint gladio, quod per lupanaria impurus et helluo cucurristi...“²⁶⁾. Alio loco vir sanctus in memoriam revocat Sabinianum post noctes libidinosas ad Dei servitium se accingere solitum esse (*ibid.* 6): „Oriebatur tibi, ut postea didici, sol invito. Exsanguis, marcidus, pallidus, ut suspicione omni careres, Evangelium Christi, quasi diaconus, lectitabas. Nos pallorem ieunii

²⁴⁾ Cf. Seliga, *De Cicerone testium vexatore*. Eos XXVII 1924, p. 105.

²⁵⁾ Scil. verba Scripturarum Sacrarum.

²⁶⁾ Cf. *ibid.* 3: „...tui similes, qui desperantes semetipsos tradiderunt immunditiae et fornicationi et ventri et his, quae infra ventrem sunt“; *ibid.* 10: „Sic aestuabas, sic subantem te et lascivientem huc atque illuc rapiebat voluptas, ut quasi quosdam triumphos palmamque vitiorum de expletis libidinibus sublevares“.

putabamus et exsangue os contra institutum ac morem tuum,
quasi confectum vigiliis mirabamur...“

Praeterea Hieronymus Sabinianum hominem *perfidum* affirmat, cum dicat (*ibid.* 10): „At tu infelix transfigurabas te in Angelum lucis et minister Satanae ministrum iustitiae simulabas. Sub vestitu ovium latebas lupus et post adulterium hominis adulter Christi esse cupiebas“.

Sabinianus Hieronymo bene de se merito meritum suum male persolvit, nam sanctum patrem infamare conatus est. Itaque exclamat presbyter venerabilis (*ibid.* 8): „At tu bonae spei columen, excetrae stimulis inflammatus, factus es mihi in arcum perversum et contra me conyiciorum sagittas iacis!“²⁷⁾.

ADVERSUS IOVINIANUM.

Iovinianus quidam, professione monachus, haec quae Hieronymus postea impugnabat, in libro, quem Romae edidit, asserere conabatur: 1. „viduas et maritas, quae semel in Christo lotae sint, eiusdem esse mariti“; 2. „eos, qui vere baptizati sint, a diabolo subverti non posse“; 3. „nihil distare inter vescentem cibis et ieunantem, si cum gratiarum actione comedat“; 4. „in regno caelorum par omnium fore praemium, qui suum baptismum conservaverint“²⁸⁾.

Quando et ubi Iovinianus mortuus sit, incertum est; sed verisimillimum ante a. 406²⁹⁾. Vita eius primum ascetica, postea mollis ac iners fertur. Ipse Iovinianus Hieronymo, ut videtur, plane ignotus erat³⁰⁾.

Libros adversus Iovinianum Hieronymus exaravit Bethleem circa annos 392—393³¹⁾.

Iam ipsum *Ioviniani* nomen sanctus presbyter aggreditur et etymologiam ab eo ducit³²⁾, cum hoc modo urbem Romam in

²⁷⁾ Cf. *ibid.* 9: „Quid neglecto vulnere proprio alios niteris infamare? Quid me bene tibi et sedulo consulentem quasi phreneticus morsu laceras?... Quid incurvus terrae haeres et totus in caeno iaces?“

²⁸⁾ Ex admonitione in librum adv. Iovin. (*Patr. Lat.* XXIII, col. 217—18) desumpta.

²⁹⁾ Grützmacher, *op. laud.* 2, 171.

³⁰⁾ Cf. *ibid.* 2, 141.

³¹⁾ Cf. *ibid.* 1, 101.

³²⁾ Ioviniani nomen cum Iovis appellatione confert (cf. Seliga, *op. laud.* 408).

fine libri II *adv. Iovin.* alloquatur (38): „Cave Ioviniani nomen, quod de idolo derivatum est. Squalet Capitolium, templa Iovis et caerimoniae conciderunt. Cur vocabulum eius et vitia apud te vigeant?“

Irridet Hieronymus severitatem in vultu eius verbisque simulatam, tum vestimenta mutata, ciborum copiam ac raritatem et corporis nimiam curam, qua, ut videtur, Iovinianus post vitam modestam et pauperem excellere studebat.

En quomodo Hieronymus eum *cum contemptu depingit* (*adv. Iovin.* 1, 40): „Descripsit sermo apostolicus Iovinianum loquentem buccis tumentibus et inflata verba trutinantem³³⁾, repromittentem in coelis libertatem, cum ipse servus sit vitiorum atque luxuriae, canis revertens ad vomitum suum. Nam cum monachum se iactitet et post sordidam tunicam et nudos pedes et cibarium panem et aquae potum ad candidas vestes et nitidam cutem, ad mulsum et elaboratas carnes, ad iura Apicii et Paxami, ad balneas quoque ac friticulas et popinas se conferat, manifestum est, quod terram coelo, vitia virtutibus, ventrem praferat Christo et purpuram coloris eius putet regna caelorum. Et tamen iste formosus monachus, crassus, nitidus, dealbatus et quasi sponsus semper incedens aut uxorem ducat, ut aequalem virginitatem nuptiis probet, aut si non duxerit, frustra contra nos verbis agit, cum opere nobiscum sit“.

Etiam vividioribus coloribus Ioviniani imaginem depinxit vir sanctus parte posteriore sua in vectivae, ubi despiciendi studium latissime patet. Legas, licet e. c. *adv. Iovin.* 2, 21: „Tunc pexa tunica et nigra subucula vestiebaris, sordidatus et pallidus et callosam opere gestans manum: nunc lineis et sericis vestibus et Atrebatum ac Laodiceae indumentis ornatus incedis. Rubent buccae, nitet cutis, comae in occipitum frontemque tornantur: protensus est aqualiculus³⁴⁾, insurgunt humeri, turget guttus et de obesis faucibus vix suffocata verba promuntur“.

Similem in modum irridet *Cicero* Pisonis aspectum totumque corporis habitum in oratione *pro Sest.* 19: „Alter, o di boni! quam taeter incedebat! quam truculentus! quam terribilis adspectu! Unum aliquem tu ex barbatis illis exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen rei publicae dices videre. Vestitus aspere

³³⁾ Cf. *Persius*, *Sat.* 3, 82: ...trutinantur verba...

³⁴⁾ Cf. *Persius*, *Sat.* 1, 57 „Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstat.“

nostra hac purpura plebeia ac paene fusca, capillo ita horrido, ut Capua, in qua ipsa tum imaginis ornandae causa duumviratum gerebat, Seplasiam sublaturus videretur. Nam quid ego de supercilio dicam, quod tum hominibus non supercilium sed pignus rei publicae videretur. Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio annus ille niti tamquam vade videretur“.

Claudii Apronique aspectum, quorum uterque Verris adiutor in Sicilia spolianda inventus sit, ita Cicero depingit (*in Verr.* 2, 108): „Videtis illum subcrispo capillo, nigrum, qui eo vultu nos intuetur, ut sibi peracutus esse videatur, qui tabulas tenet, qui scribit, qui monet, qui proximus est. Is est C. Claudius“... *Ibd.* 3, 22–23: „Adspicite, iudices, vultum hominis et adspectum et ex ea contumacia, quam hic in perditis rebus retinet, illos eius spiritus Sicilienses quos fuisse putetis, cogitate ac recordamini. Hic est Apronius... ut ipsa non solum vita, sed corpore atque ore significat, immensa aliqua vorago est aut gurges vitiorum turpitudinumque omnium“. Cf. praeterea *p. Rosc. Com.* 20, ubi Chaeream depingit.

Non parcit pater ecclesiasticus et *asseclis Ioviniani*, cum ita de eis scribat (*adv. Iovin.* 2, 37): „Habes praeterea in exercitu plures succenturiatos, habes scurras et velites in praesidiis, crassos, comptos, nitidos clamatores, qui te pugnis calcibusque defendant“.

Sicut Helvidium etiam Iovinianum *imperitum et ineptum* Hieronymus esse existimat atque omnia, quae Iovinianus scripsisset, stulta esse et ea, quae nullo modo intelligi posse videantur. De cuius commentariolo haec contemptim et ridicule scribit (*ibd.* 1, 1): „Pauci admodum dies sunt, quod sancti ex urbe Roma fratres cuiusdam mihi Ioviniani commentariolos transmiserunt, rogantes, ut eorum ineptiis responderem et Epicurum Christianorum evangelico atque apostolico vigore contererem. Quos cum legisset et omnino non intelligerem, coepi revolvere crebrius et non verba modo atque sententias, sed singulas paene syllabas discutere, volens prius scire, quid diceret, et sic vel probare vel redarguere, quod dixisset. Verum scriptorum tanta barbaries est et tantis vitiis spurcissimus sermo confusus, ut nec quid loquatur, nec quibus argumentis velit probare, quod loquitur, potuerim intelligere. Totus enim tumet, totus iacet, attolit se per singula et quasi debilitatus coluber in ipso conatu frangitur. Non est contentus nostro, id est humano more, loqui, altius quiddam aggreditur“.

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Quod ipse

Non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.

Praeterea sic involvit omnia, et quibusdam inextricabilibus nodis universa perturbat, ut illud Plautinarum litterarum ei possit aptari:

Has quidem praeter Sibyllam leget nemo.

Nam divinandum est. Furiosas Apollinis vates legimus et illud Vergilianum: Dat sine monte sonum. Heraclitum quoque cognomento σκοτεινὸν sudantes philosophi vix intelligunt. Sed quid ad nostrum αἰνυγματίσσαι, cuius libros multo difficilius est nosse quam vincere? Quamquam et in victoria non parva sit difficultas. Quis enim superare queat, cuius assertionem penitus ignoret? Et ne lectorem longius traham, cuiusmodi eloquentiae sit et quibus verborum floribus ornatus incedat, secundi libri eius monstrabit exordium, quod hesternam crapulam ructans ita evomit...“

Tum, aliquot sententiis exempli causa ex Ioviniani commentariolis allatis, haec vir sanctus, ira incensus, exclamat: „Rogo, quae sunt haec portenta verborum, quod descriptionis dedecus? Nonne vel febrem somniare eum putas vel arreptum morbo phrenetico Hippocratis vinculis alligandum? Quotiescumque eum legero, ubi me defecerit spiritus, ibi est distinctio. Totum incipit, totum pendet ex altero: nescias quid cui cohaereat et exceptis testimoniis Scripturarum, quae illo venustissimo eloquentiae suae flore mutare non ausus est, reliquus sermo omni materiae convenit, quia nulli convenit.“

Contemptim tractat Hieronymus Ioviniani dissertationem de nuptiis. Quod scriptum prorsus ‘nauseam et vomitum’ vocat (*ibid.* 1, 4): „Proponam igitur manifestioribus verbis et habentibus aliquam consequentiam argumenta eius et exempla de nuptiis eodemque ordine omnia, quo ab eo dicta sunt, disseram. Nec molestum lectori sit, si nauseam eius et vomitum legere compellatur. Libentius antidotum Christi bibet, cum diaboli venena praecesserint. Audite patienter, virgines, audite, quaeso, voluptuosissimum concionatum, immo quasi sirenarum cantus et fabulas clausa aure transite“.

Contemptum taediumque spirant, quae Hieronymus scribit in prologo in dialogum *contra Pelagianos* 2: „Iovinianus, cuius nunc haeresis suscitatur, Romanam fidem me absente turbavit tam elinguis et sic sermonis putidi, ut magis misericordia dignus fuerit, quam invidia“. Cf. *adv. Iovin.* 1, 6: „Nimius fortasse fuerim in expositione propositionum eius et legenti fastidium fecerim...“

Ioviniani libros propter sensum videlicet obscurum tenebrosos dicit (*ibid.* 1, 3): „Proponam breviter adversarii sententias et de tenebrosis libris eius quasi de foveis serpentes protraham neque sinam venenosum caput, spiris maculosi corporis...“

Hieronymus lacerabatur conviciis cuiusdam monachi iuvenis, quem in epistola ad Domnionem scripta ironice perstringens occasione oblata etiam Ioviniani scripta carpit (*epist.* 50, 2): „Nec mirum, si me... absentem... homo latinissimus et facundissimus supereret, cum praesentem Iovinianum (Iesu bone, qualem et quantum virum, cuius nemo scripta intelligeret, qui sibi tantum caneret et musis) eloquentiae suae mole oppressit“.

In eadem epistula Hieronymus vocat eum Graece *scriptorem illiteratum* (συγγραφεὺς ἀγράμματος), tum voce ‘balbus’ laedit, scite proverbio utens (*epist.* 50, 4): „...si... idcirco se eruditum putat, quia Iovinianum solus intelligit (est quippe proverbium ‘balbum melius balbi verba cognoscere’) πάντες οὐ συγγραφεῖς appellamur“.

Etiam Cicero similem in modum Antonii stupiditatem carpit sermonisque vitia cuiusdam eius edicti insectatur, cf. e. gr. *Phil.* 3, 21: „Sententiolas edicti cuiusdam memoriae mandavi, quas videtur ille percutas putare; ego autem, qui intelligeret, quid dicere vellet, adhuc neminem inveni“. Cf. praeterea *ibid.* 3, 22; *ibid.* 13, 43.

His similia leguntur quoque *apud Demosthenem*, qui Aeschinem insectatur (*d. cor.* 127): ἡς (scil. παιδίας) τῶν μὲν ὡς ἀλεθῶς τετυχηκότων οὐδὲν εἰς εἴποι περὶ αὐτοῦ τοιούτον οὐδέν, ἀλλὰ καὶ ἔτερου λέγοντος ἐρυθριάσειν, τοῖς δ' ἀπολειθεῖσι μὲν ὕσπερ σύ, προσποιουμένοις δ' ὑπ' ἀναισθησίας τὸ τοὺς ἀκούοντας ἀλγεῖν ποιεῖν, ὅταν λέγωσιν, οὐ τὸ δοκεῖν τοιούτους εἶναι περίσσειν.

Iam e locis supra allatis optime patet sanctum patrem magno cum *contemptu* adversarium suum tractavisse, nam dicebat eum: vinosum, luxuriosum, furentem; serpenti eum conferebat, tum demum canem vocabat.

Luxuria crimen saepius ab Hieronymo Ioviniano exprobatur; qua de causa Iovinianum etiam Epicurum, qui luxuria patronus vulgo habebatur, vocabat. Iam in principio libri 1 *adv. Iovin.* scribit Hieronymus se a fratribus ex urbe Roma rogatum esse, ut „Epicurum Christianorum evangelico atque apostolico vigore“ conterret. Contumelia, Epicuri nomine expressa, aliquoties apud sanctum patrem recurrat, ut *adv. Iovin.* 2, 36: „Nunc restat, ut

Epicurum nostrum subantem in hortulis suis inter adolescentulos et mulierculas alloquamus. Favent tibi crassi, nitidi, dealbati — adde, si vis, iuxta Socraticam irrisio[n]em omnes sues et canes... Cf. infra: „Pharisaeorum autem doctrinae omnis populus applau-debat, dicens... id est vitia sequimur, non virtutes: Epicurum non Christum, Iovinianum non apostolum Paulum... pro magna sapientia deputas, si plures porci post te currant, quos gehennae succidiae nutrias?“³⁵⁾

Propter voluptatis p[re]eonium et luxuriam, quae Ioviniano sanctus pater etiam atque etiam obiciebat, cuidam Basilidi eum confert (*ibd.* 2, 37): „Basilides, magister luxuria[rum] et turpissimorum complexuum, post tot annos ita in Iovinianum, quasi in Euphorbum transformatus est, ut Latina quoque lingua haberet haeresim suam...“

Per irrisio[n]em Iovinianum appellat Hieronymus Zenonem, qui scholae Stoicorum auctor erat (*ibd.* 2, 33): „Primo considerandum, quod si iusti non spe profectus laborant, ut vult noster Zeno...“

Luxuriam vitamque libidinosam *Cicero* exprobrat saepius Pisoni, quem plus solito oderat; cf. e. gr. *in Pis* 37, 59, ubi eum contemptim Epicurum vocat.

Omnibus, quae vir sanctus in Iovinianum iaculatur, circum-spectis appetit Hieronymum nimium in sua invictiva fuisse: quare non mirum est homines sui aetatis eum hac de causa cri-minavisse ipsumque iis purgatum se esse voluisse³⁶⁾. Hieronymi libri adversus Iovinianum quam acerbi nonnullis amicis visi sint, ex eo colligitur, quod Pammachius, Pauli gener, eorum exemplaria ut exemerentur delerenturque, valde studebat.

ADVERSUS MONACHUM.

Cum *monachus quidam* Hieronymi libros adversus Iovinianum editos ausus esset lacerare, sanctus pater improbe lacessitus, epistola, quam ad amicum suum Domnionem destinavit, iniuriae

³⁵⁾ Cf. *epist.* 50, 5 ubi de quodam monacho, Ioviniani defensore, scribit: „Procul Epicurus, longe Aristippus, subulci non aderunt, scropha non gruniet“.

³⁶⁾ Cf. *epist.* 49, 68.

ultionem vehementissimam ab inimico sumpsit. Quam epistulam, ut videtur, circa annum 394⁸⁷⁾ exaravit.

Imprimis *imperitiae* vitium, ut multis aliis adversariis, etiam huic monacho ‘rumigerulo’ obicit mirumque in modum contemptu eum exagitat (*epist.* 50, 1): „Scribis enim eos, immo nescio quem de trivio, de compitis, de plateis circumforaneum monachum rumigerulum, rabulam, vafrum tantum ad detrahendum, qui per trabem oculi sui festucam alterius nitatur eruere, concionari adversum me et libros, quos contra Iovinianum scripsi, canino dente rodere, lacerare, convellere. Hunc dialecticum urbis vestrae et Plautinae familiae columen non legisse... sed per imperitorum circulos muliercularumque συμπόσια syllogismos ἀσύλλογίστων texere et quasi sophismata nostra callida argumentatione dissolvere“.

Videas praeterea, quam lepide ironia ignorantiam eius iactationemque carpat (*ibd.* 2): „Inventus est homo absque praeceptore perfectus πνευματοφόρος καὶ αὐτοδίδαχτος, qui eloquentia Tullium, argumentis Aristarchum, multitudine librorum Chalcenterum, Didymum scientia scripturarum omnesque sui temporis vincat tractatores. Liberatus est mundus a periculo et hereditariae vel centumvirales causae de barathro erutae, quod hic forum neglegens se ad Ecclesiam transtulit. Quis hoc nolente fuisse innoxius? quem criminosum non huius servasset oratio, cum coepisset in digitis partiri causam et syllogismorum suorum retia tendere? Nam si applosisset pedem, intendisset oculos, rugasset frontem, iactasset manum, barbam tornasset, tenebras illico ob oculos offudisset iudicibus...“

Ironia, qua libentissime, ut videtur, utitur Hieronymus, usquequoque recurrit in eius epistola; quae irrisio nonnunquam contemptu mutatur (*ibd.* 5): „Det nobis occasionem respondendi disertitudini suea. Inter mulierculas sciolus sibi ut eloquens videbatur. Postquam Romam mea opuscula pervenerunt, quasi aemulum exhorruit et de me quoque captavit gloriam, et nullus esset in terris, qui non eius eloquentiae displiceret... Voluit scilicet homo peritissimus ut veteranus miles uno rotatu gladii percutere utrumque et ostendere populis, quod quidquid ipse vellet, hoc Scriptura sentiret“.

Addubitat sanctus pater *de eius indole litteraria*; itaque ad scribendum eum hortatur (*ibd.* 4): „Quoties me iste in circulis

⁸⁷⁾ Cf. Grützmacher, *op. laud.* 1, 99 sqq.

stomachari fecit et adduxit ad cholera? quoties conspuit et con-sputus abscessit? ...Loquamus scriptis, ut de nobis tacitus lector iudicet: ut quomodo ego discipulorum gregem ductito, sic ex huius nomine Gnathonici vel Phormionici vocentur“³⁸⁾.

Tunc, ait Hieronymus, hebetudo eius optime apparebit, tunc magistri eius libidinum nihil ei prodesse poterunt (*ibid.* 5): „Nunc libere et impudenter iactat in vulgus et perstrepit.. Cum autem ad libros venerit et pedem pedi contulerit et vel proposuerit ali-iquid de Scripturis vel audierit proponentem, tunc sudabit, tunc haerebit. Procul Epicurus, longe Aristippus, subulci non aderunt, scropha non grunniat...“.

Tum varias *suspiciones movet* Hieronymus, probra e vita eius privata petens; qua in re monachus ille Ioviniani discipulus facile cognosci potest (*ibid.* 3): „Audio praeterea eum libenter virginum et viduarum cellulas circumire et adducto supercilio de sacris inter eas litteris philosophari. Quid in secreto, quid in cu-biculo mulierculas docet? Ut hoc sciant esse virgines quod maritatae; ut florem aetatis non negligant, ut comedant et bibant et balneas adeant, munditas appetant, unguenta non spernant? an magis pudicitiam et ieunia et illuviem corporis? Utique illa prae-cipit, quae plena virtutis sunt. Fateatur ergo publice quod domi loquitur. Aut si et domi eadem docet, quae et publice, a puella-rum consortio separandus est“³⁹⁾.

Quo facilius *Cicero* Antonii auctoritatem imminuat, quaedam morum eius flagitia in memoriam revocat, ut e. gr. foedissimum cum Curione commercium (*Phil.* 2, 44): „Sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti. Primo volgare scortum, certa flagitiis merces nec ea parva; sed cito Curio intervenit, qui te a meretricio quaestu abduxit et, tamquam stolam dedisset, in matrimonio stabili et certo collocavit..“ Tum, quo maiora etiam Antonii stupra fuisse videantur, dicit Cicero se non posse vere-cundiae causa omnia nominare (*ibid.* 47): „Sunt quaedam, quae honeste non possum dicere...“ Cf. praeterea: *ibid.* 2, 58; *ibid.* 13, 24.

Hic conferri possunt, quae *Tullius* de Vatinio per praeteritionem enarrat (in *Vat.* 13): „Atque illud tenebrisissimum tem-

³⁸⁾ Gnatho et Phormio — parasitorum nomina apud Terentium.

³⁹⁾ Cf. *ibid.* 3: „Miror autem non erubescere iuvenem et monachum, ut sibi videtur, disertum (cuius de ore veneres fluunt; qui tantae in sermo-

pus ineuntis aetatis patiar latere: licet impune per me parietes perfoderis, vicinos compilaveris, matrem verberaris; habeat hoc praemii tua indignitas, ut adolescentiae turpitudo obscuritate et sordibus obtegatur...“

ADVERSUS IOANNEM HIEROSOLYMITANUM.

Ioannes Hierosolymitanus, antequam episcopatum adipisceretur, Arianis et Macedonianis adhaesit, post autem episcopi dignitatem adeptam Origenistis studebat. Cum discordia quaedam inter Epiphanium, episcopum Salaminium, et Ioannem Hierosolymitanum erupisset et alii causam Epiphanii alii Ioannis defenderent, sanctus doctor in libro contra Ioannem scripto errores haereticos ei obicit et apologiae eius strophas impugnat⁴⁰⁾.

Invectiva scripta esse videtur anno 399⁴¹⁾.

Ut auctoritatem Ioannis imminuat, Hieronymus in libro adversus eum scripto quaedam, quae opprobrio non careant, *e vita eius affert*. Legas e. g., quae scribit (*adv. Ioan. 39*): „Instabat dies Paschae: frequens monachorum turba convenerat: exspectabar in loco; quid faceres, nesciebas. Repente mandasti aegrotare nescio quam, illo die te non posse venire. Ludione an episcopus haec loquitur? Pone verum esse quod dicis, propter unius mulierculae delicias, ne te absente doleat caput, fastidium sustineat, stomacho perfrigescat, Ecclesiae causam negligis? tot virorum et Christianorum et monachorum contemnis praesentiam? Noluimus occasionem dare: videbamus enim stropham dilationis tuae, iniuriam patientia vicimus. Rescritit Archelaus; monebat altero et tertio die manere, si vellet venire. At ille occupatus, muliercula enim vomere non cessavit, dum nauseam evasisset, nostri penitus oblitus est“.

De Verris vita, quam sibi iste ‘imperator’ ratione consilioque iucundam reddidit Syracusis, haec scribit *Marcus Tullius Cicero* (*in Verr. 26—27*): „Hic ita vivebat iste bonus imperator hibernis mensibus, ut eum non facile non modo extra tectum, sed ne extra lectum quidem quisquam videret. Ita diei brevitas conviviis, noctis longitudo stupris et flagitiis continebatur“.

cinando elegantiae est, ut comico sale ac lepore conspersus sit) lustrare nobilium domos, haerere salutationibus matronarum...“

⁴⁰⁾ Cf. admonitionem in hunc librum in *Patr. Lat. XXIII*, col. 369—70.

⁴¹⁾ Cf. Grützmacher, *op. laud.* 1, 101.

„Cum autem ver esse cooperat, cuius initium iste non a Favonio neque ab aliquo astro notabat, sed cum rosam viderat, tum incipere ver arbitrabatur, dabat se labori atque itineribus, in quibus eo usque se praebebat patientem atque impigrum, ut eum nemo umquam in equo sedentem viderit. Nam ut mos fuit Bithyniae regibus, lectica octophoro ferebatur, in qua pulvinus erat perlucidus Melitensis, rosa fartus; ipse autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo reticulumque ad nares sibi admovebat, tenuissimo lino, minutis maculis, plenam rosae. Sic confecto itinere cum ad aliquod oppidum venerat, eadem lectica usque in cubiculum deferebatur. Eo veniebant Siculorum magistratus, veniebant equites Romani, id quod ex multis iuratis audistis; controversiae secreto deferebantur, paulo post palam decreta auferebantur. Deinde ubi paulisper in cubiculo pretio, non aequitate iura descripserat, Veneri iam et Libero reliquum tempus deberi arbitrabatur. Quo loco non mihi praetermittenda videtur praeclari imperatoris egregia ac singularis diligentia. Nam scitote oppidum esse in Sicilia nullum ex iis oppidis, in quibus consistere praetores et conventum agere solebant, quo in oppido non isti ex aliqua familia non ignobili delecta ad libidinem mulier esset“. Similiter de Pisonis stupris narrat Cicero *in Pis.* 69—70, 14, 22; *Prov. Sen.* 13 (de Gabinio); de Clodii stupris: *Har. resp.* 42, 59; *p. Sest.* 110, 116. Tum de vita et natura Ioannis latius suspiciones movet, cum dicat (*adv. Ioan.* 4): „De vita autem et fide nihil amplius dicam, ne te laedere videar“.

Alio loco *strophas et praestigias* Ioanni eiusque asseclis obicit (*ibd.* 19): „Hae sunt strophae vestrae atque praestigiae, quibus nos pelusiotas et iumenta et animales homines dicitis, quia non recipimus ea, quae spiritus sunt“.

Contemptum exprimunt quoque ea, quae leguntur *adv. Ioan.* 15: „Transeamus ad secundam quaestionem, in qua quasi nihil sibi propositum sit, securus et ructans dormire se simulat, ut legentes faciat dormitare“.

Varium in modum linguae eius debilitatem notat atque deridet, tum plane stultitiam ei obicit (*ibd.* 10): „Repertus est saeculis nostris haud grandis homunculus, qui de cunctis Ecclesiae quaestionibus uno linguae rotatu sole clarius coruscaret. Si nemo a te postulabat et tranquilla erant omnia, stulte tanta disputandi voluisti subire discrimina“; *ibd.* 5: „Responde epistolae eius: sentiant ceteri

finem, eloquentiam⁴²⁾, prudentiam tuam, ne tibi solus disertus esse videaris“.

Eandem *ironiae acerbitatem* exercet in eo Hieronymus *ibd.* 4: „Tu beatissimus papa et fastidiosus antistes, solus dives, solus sapiens, solus nobilis ac disertus conservos tuos et redemptos sanguine Domini tui rugata fronte et obliquis oculis despicias?“ *ibd.* 8: „Dic mihi, disputator egregie, de octo capitulis, ad quae responderis“; *ibd.* 35: „Dic mihi, acutissime disputator, quid est...“ *ibd.* 12: „En Lysias noster, en Gracchus et ut aliquid de neotericis inferram, Qu. Aterius...“ *ibd.* 13: „Et nisi tibi disertitudinis tuae fluvius inundasset, poteras argui, quod non posses ex tempore de cunctis dogmatibus dicere“.

Quod agmen ironicae dictionis liceat claudere exemplo hoc (*ibd.* 11): „Atqui columna veritatis ac fidei, qui de tanto viro audet dicere, loquente illo ad populum quae vellet, de se ipso quam prudenter et verecunde, quam humiliter referat, consideremus...“

ADVERSUS RUFINUM.

Causa dissensionis inter Hieronymum et *Rufinum* exortae fuit Origenis librorum $\pi\epsilon\rho\iota\alpha\rho\chi\omega\nu$ (de principiis) versio Latina, a presbytero Aquileiensi elaborata. Rufinus operi suo praefationem dedit, in qua Hieronymum velut Origenis opinionum fautorem eiusque sententiae socium praedicabat.

Quamvis presbyter Aquileiensis se opus Adamantii ab ascriptis erroribus expurgasse iactaret, multa tamen inerant, quae fidem Christianam offendere possent. Itaque sanctus pater amicorum hortatu eundem librum Origenis anno 400 denuo ipse vertit, nulla sententia mutata, quo se Originis errores facilius proderent et ipse se suspicione favoris in Origenem liberaret. Praeterea dedit epistolas ad Rufinum et ad amicos, ut se ab omni calumnia defendaret. Tum presbyter Aquileiensis pro sua fide apologiam ad Anastasium papam, anno autem insequenti tres invectivarum libros in Hieronymum scripsit; quarum duabus, licet eas tantum ex parte ab amicis audivisset, respondit suis duobus libris apologeticis. Tertium librum apologeticum scripsit sanctus pater, postquam Rufinus ei litteras cum invectivarum codice misit.

⁴²⁾ Cf. *adv. Ioan.* 10: „homo non satis eloquens“.

Apologiae librum I et II scripsit Hieronymus anno 402, librum III — anno 403⁴³⁾.

Rufinus cum Hieronymo satis diu, ut notum est, amicitia coniuncti vivebant nihilque eos aliquando bellum gesturos esse praemonebat. Operae pretium est quaedam ex epistolis ab Hieronymo illo tempore scriptis hic affere. In *epist. 3, 1*⁴⁴⁾ sanctus pater Rufinum, quem in Aegyptum concessisse audiverat, videre et alloqui vehementer optat; itaque verbis amicissime perscriptis Rufinum alloquitur. Inter alia haec in exordio epistolae scribit: „Rufine carissime...⁴⁵⁾ O si nunc mihi Dominus Iesus Christus... translationem repente concederet, quam ego nunc tua arctis stringerem colla complexibus, quam illud os, quod mecum vel erravit aliquando vel sapuit, impressis figerem labiis!“ Quam epistolam veram Hieronymi amicitiam erga Rufinum exprimentem claudit presbyter verbis, quae, si ea quae secuta essent, praesensisset, certe nunquam scripsisset (*ibid. 6*): „Sed ut ad illud redeam, unde discesseram, obsecro te, ne amicum, qui diu quaeritur, vix invenitur, difficile servatur, pariter cum oculis mens amittat. Fulgeat quilibet auro et pompaticis ferculis corusca ex sarcinis metalla radient. Caritas non potest comparari. Dilectio pretium non habet. Amicitia, quae desinere potest, vera nunquam fuit“.

Huc vergunt quoque, quae Hieronymus scribit anno 374 in *epist. 4, 2* de Rufino amico eiusque sanctitate: „Et quia frater Rufinus, qui cum sancta Melania ab Aegypto Ierosolymam venisse narratur, individua mihi germanitatis caritate conexus est, quae, ut epistulam meam huic epistulae tuae copulatam ei reddere non graveris. Noli nos aestimare virtutibus; in illo conspicies expressa sanctitatis insignia: et ego cinis et vilissima pars lutu et iam favilla dum vertor, satis habeo, si splendorem morum illius imbecillitas oculorum meorum ferre sustineat“⁴⁶⁾.

Sed amicitia, quae iam pridem lababat, denique rupta est⁴⁷⁾; criminis ruptae amicitiae Hieronymus Rufinum coarguit idque eius perfidiae assignare voluit⁴⁸⁾. Ex amico repente Rufinus eius ini-

⁴³⁾ Cf. Grützmacher, *op. laud.* 1, 101.

⁴⁴⁾ scripta, ut videtur, anno 374.

⁴⁵⁾ Cf. porro (4): „amice dulcissime“; (8): „bone amice“.

⁴⁶⁾ Cf. praeterea *epist. 5, 2*.

⁴⁷⁾ anno, ut videtur, 398.

⁴⁸⁾ Cf. *adv. Ruf.* 1, 1.

micus factus est, nam Origenianae haeresis propugnator esse eius visus est: Cf. *prol. in lib. dial. adv. Pelag.*: „Rufinus non uni urbi, sed orbi blasphemias Origenis et τεπι ἀρχῶν libros, quantum in se fuit, intulit“⁴⁹⁾.

Itaque bellum quam vehementissimum inter duos viros, olim secum amicissime coniunctos mutuoque se suspicentibus, exorsum est eiusque vis ac acerbitas modum excessisse videtur⁵⁰⁾.

Sed iam, his praemissis, ad ipsius invectivae vim, qua Hieronymus Rufinum aggreditur, accedamus.

Admodum saepe sanctus doctor Rufino *mendacium* idque vario modo obicit. Rufinus in epistola sua suspicabatur Hieronymum multo auro eius notarium redimere voluisse. Cui respondet sanctus pater cum ira et indignatione (*adv. Ruf.* 3, 4): „Ego auro redimerem notarium tuum?... Usque adeone obdurasti frontem, ut mendacium ponas spem tuam et existimas te protegi posse mendacio et, quidquid finxeris, tibi credendum putas?“

Quam rem cum corroboret, idem mentiendi crimen his verbis profert (*ibid.* 3, 5): „Ex quo apparuit iuxta incliti oratoris (scil. Ciceronis) elogium te voluntatem habere mentiendi, artem fingendi non habere“.

Rufinus dicebat ab Hieronymo scriptum esse Vigilantium haeretica apud Alexandrum communione maculatum. Cui ita Hieronymus respondet (*ibid.* 3, 19): „Da librum, profer epistulam: nusquam omnino reperies et eadem licentia immo impudentia mentiendi, qua putas omnes tuis sermonibus credituros, addis... Et quia non habes quod obicias, simulas verecundiam, ut lector te putet mihi parcere, qui mentiens nec tuae animae pepercisti“. Postea addit: „Ut cetera sileam, ex hoc uno capitulo comprobabo ferream te frontem possidere fallaciea...“

⁴⁹⁾ Cf. *adv. Ruf.* 3, 43: „In uno tibi consentire non potero, ut parcam haereticis, ut me catholicum non probem. Si ista est causa discordiae, mori possum, facere (scil. tacere) non possum“.

⁵⁰⁾ Sanctus Augustinus de hac amicorum dissensione certior factus multum doluisse videtur inque has voces in *epist.* 110, ad Hieronymum data, erumpit: „Fateor multum dolui inter tam caras familiaresque personas, cunctis paene ecclesiis notissimo amicitiae vinculo copulatas, tantum malum exstisset discordiae. Quis denique amicus non formidetur quasi futurus inimicus, si potuit inter Hieronymum et Rufinum hoc, quod plangimus, exoriri?“

Ne longior locorum laudatio, ubi presbyter venerabilis de Rufini mentiendi studio verba facit, lectori nauseam moveat, inspiciat velim e. gr. *ibid.* 2, 3; 2, 19; 2, 22; 3, 1; 3, 5; 3, 6; 3, 10; 3, 13; 3, 18; 3, 19; 3, 23; 3, 25; 3, 26; 3, 30; 3, 34; 3, 39.

Nonnunquam Hieronymus Rufini mendacia *caligines*, et *turbines* appellat (*ibid.* 3, 30): „Hi sunt fumi, hae caligines, quibus ex oculis hominum conaris lumen auferre“; *ibid.* 3, 28: „Tu, qui per singulas paginas fumos meos ventilas, non intelligis videre nos caligines tuas et turbines?“

De Aeschinis mendaciis calumniisque saepissime dicit *Demosthenes* in oratione *de corona*, ut 11: „ὑπὲρ μὲν τῶν πεπολιτευμένων ἀ κατεψεύδου καὶ διέβαλλες, ἔξετάσω...; 17; καὶ μάλισθ' οσα ὑπὲρ τῆς εἰρήνης καὶ τῆς πρεσβείας κατεψεύσατό μου...; 21: δὸν σὺ διαρράγῃς φευδόμενος...; cf. 126, 291, 294.

Tum *perfidiae* eum criminatur (*adv. Ruf.* 3, 12): „...verso stilo, quem praedicavera, quia consortem putabas, accusas, quoniam perfidia tuae cernis inimicum“. Cf. *ibid.* 3: „Vis scire totas argutiarum tuarum strophas et vulpecularum insidias...“

Cum supra allatis arte coniungi videtur illud epitheton ‘*bilinguis*’, quo Hieronymus Rufinum exornat (*ibid.* 2, 22): „Ergo et apostoli viri, qui linguis⁵¹⁾ loquebantur, in crimine sunt et me trilinguem⁵¹⁾ bilingnis ipse ridebis?“ Procul dubio Hieronymus hic ludit in ‘*bilingnis*’ nomine, ut potius mendacem et perfidum, quam duarum linguarum scientia peritum notet⁵²⁾.

Aliquoties quoque ‘*subdolum*’ vocat Rufinum, ut *ibid.* 1, 1; 3, 6; 3, 37.

Iterum ac saepius Hieronymus obicit presbytero Aquileiensi ‘*imperitiam*’, cum ipse inter aequales suos omni scientia excelleret; quae obiectio ad auctoritatem adversarii minuendam spectare videtur.

Hieronymus de doctrina eius addubitare videtur, cum haec ironice scribit (*ibid.* 1, 16): „Puto quod puer legeris Aspri in Vergilium et Sallustium commentarios, Volcati in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius et in Terenti comoedias, prae-

⁵¹⁾ Hieronymus peritus erat trium linguarum scientia, scil. Latinae, Graecae et Hebraicae, quam auxilio cuiusdam Iudei in Oriente cognoverat.

⁵²⁾ Cf. *adv. Ruf.* 3, 6: „Hoc modo et tu bilinguis eris, tantam habes Graeci Latinique sermonis scientiam, ut et Graeci te Latinum et Latini te Graecum putent“.

ceptoris mei Donati aequa in Vergilium et aliorum in alios...“ Tum haec addit (*ibid.* 1, 30): „Si litteras didicisses, oleret testa ingenioi tui, quo semel fuisse imbuta...“

Interdum criminando *ludere* cum adversario videtur (*ibid.* 1, 30): „En tu qui in me parvam criminariis scientiam et videris tibi litteratus atque Rabbi, responde, cur scribere aliqua ausus sis et virum desertissimum Gregorium pari eloquentia splendore transferre. Unde tibi tanta verborum copia. sententiarum lumen, translationum varietas, homini, qui oratoriam vix primis labris in adolescentia degustasti? Aut ego fallor aut tu Ciceronem occulte lectitas. Et ideo tam desertus es mihiique lectionis eius crimen intendis, ut solus inter ecclesiasticos tractatores eloquentiae flumine glorieris.“.

Imperitiam ignorantiamque eius quam varie et indesinenter vir sanctus persequatur, inspicias, velim, praeterea: *ibid.* 1, 2; 9; 17; 27; 2, 1; 10; 3, 6; 14; 21; 24; 25, 27; 29; 32; 39; 43.

Imperitiam stuporemque *Demosthenes* Aeschini, ut vidimus, obicit (*d. cor.* 128).

Stultus Hieronymo Rufinus propter ineptias eius videtur (*adv. Ruf.* 3, 24): „Nescio quomodo acutus et prudens ad has ineptias devolvaris, ut dum stultos lectores putas, te stultum esse demonstres“. Stultitiae signum inurit ei, scite eum sententiis e Scripturis Sacris desumptis perstringens (*ibid.* 3, 1): „Lectis litteris prudentiae tuae, quibus me invehiris,... intellexi illud Solomonis in te esse completum „In ore stulti baculus contumeliae“ et „Non recipit fatuus verba prudentiae, nisi ea dixeris, quae versantur in corde eius“ et Isaias „Fatuus, inquit, fatua loquetur et cor eius vana intelliget, ut compleat iniquitates et loquator contra Deum mendacium“. Cf. *ibid.* 3, 43.

Deridet Rufini *eloquentiam*, qui magni momenti sibi eam putabat lepideque adversarium alloquitur (*ibd.* 3, 31): „Tu vide-licet flammeus immo fulmineus, qui in loquendo fulminas et flamas ore conceptas tenere non potes atque tu ille Bar-Cochabas, auctor seditionis Iudaicae (qui) stipulam in ore succensam anhelitu ventilabat, ut flamas evomere putaretur: ita et tu nobis alter Sal-moneus, omnia, per quae incidis, illustras...“ Cf. praeterea *ibd.* 1, 5; 3, 21.

Tum de Rufini *epistola*, cui indagandae vir sanctus aliquid operae dedit, haec inter alia affert (*ibd.* 2, 6): „Illud quoque, quod

postea infert... eiusdem est venustatis. Quis enim unquam audivit potiri ignibus et frui suppliciis? Sed homo Graecus videtur mihi se ipsum interpretari voluisse... Huiusmodi nugis et acyrologiis omnis eius scatet oratio“. „Verborum portenta“ Rufini carpit insectaturque Hieronymus praeterea *ibd.* 1, 17; 2, 2; 2, 9; 2, 10; 2, 15; 3, 3; 3, 25.

In universum Rufini scripta putidi et confusi sermonis esse Hieronymo videntur (*ibd.* 2, 9): „Tam putide et confuse loquitur, ut plus ego in reprehendendo laborem, quam ille in scribendo“. Cf. *ibd.* 3, 16, 3, 25.

Qua de causa Rufini sermo corruptus et obscurus Heraclitum Hieronymo in memoriam revocat, quippe qui ob linguam obscuram epitheto σκοτεινὸς ornatus sit (*ibd.* 1, 30): „Denique et ego scripta tua relegens, quamquam interdum non intelligam, quid loquaris, et Heraclitum me legere putans tamen non doleo nec me poenitet tarditatis: id enim in legendo patior, quod tu pateris in scribendo“.

Itaque nihil mirum ab Hieronymo eum Graece scriptorem illiteratum (συγγραφεὺς ἀγράμματος) vocari (*ibd.* 3, 6).

Hic optime laudari possunt, quae Cicero de Antonii oratione vitiisque sermonis dicit quaeque iam supra a nobis alia occasione laudata sunt (*Phil.* 3, 22; 13, 43).

Praeter mendacia, ignorantiam seu animi hebetudinem, *sermonis stilique menda* aliorum quoque vitiorum toto agmine adversarium teneri Hieronymus affirmat. Quorum exempla reapse sanctus doctor nobis promit permulta.

Imprimis *furore quodam seu amentia* Rufinus affectus esse ei videtur. Itaque *ibd.* 3, 42, ubi calumniandi licentiam Rufino exprobat, haec scribit: „Possem et ego tuis te coloribus pingere et insanire contra insanientem et dicere quidquid vel scio vel nescio et eadem licentia, immo furore et amentia vel falsa vel vera congerere, ut et me loqui et te puderet audire, et obicere tibi, quae aut accusantem damnarent aut accusatum, ut ex frontis duritia fidem lectori facerem, ut quod impudenter scriberem, vere scribere iudicarer“. Cf. praeterea *ibd.* 3, 39: „Iusta contra me odia recognosco et vera in nos debaccharis insaniam“... *Ibd.* 3, 43: „His ergo doctus exemplis nolui mordere mordentem nec vicem talionis implodere maluique insaniam excantare furibundi et unius libri antidotum venenato pectori infundere“. Cf. *ibd.* 3, 7; 3, 41; 3, 42; 3, 43.

Tum *oris frontisque quandam impudentiam et audaciam* Hieronymus ei exprobrat (*ibd.* 1, 31): „Nunc autem novum impudentiae genus, obicit mihi somnium meum...“ *Ibd.* 3, 11: „...nisi forte adhuc commentarios ad Ephesios criminaris et quasi nihil tibi super hoc responsum sit, obduras frontis impudentiam“. *Ibd.* 3, 23: „...nisi ipsae epistulae reclamaverint et fregerint tuae frontis audaciam...“ *Ibd.* 3, 25: „Quo non erumpat semel effrenata audacia?“ Cf. *ibd.* 3, 16; 3, 19; 3, 39⁵³).

Deinde *temeritatis* vitium in Rufino deprehendit, *ibd.* 1, 8: „Tu ad primum et solum opus, ignotus prius, temeritate factus es nobilis“. *Ibd.* 3, 6: „Simulque admiror, qua temeritate contra tantarum artium virum (scil. Epiphanium) audeas dicere“⁵⁴).

Etiam hominis invidi speciem Rufinus ei praebet, ut videmus ex *ibd.* 3, 43: „Audi igitur, quid de te ed de omnibus inividis ac maledicis et contumeliosis loquatur sapiens Salomon...“ *Ibd.* 2, 25: „Quid livore torqueris?“ *Ibd.* 1, 30: „...histriculae et lividae mentis hominem a me submoveo...“

Iam hic notandum est Rufinum a doctore Ecclesiae libentius ironia excipi eaque quam maxime varia: subtili ac acerbissima, quae interdum sarcasmum, qui vocatur, spirat. Ne omnia exempla, quorum series nimium longa videtur, circumspiciamus, ante oculos nostros ponamus saltem ea, quae nos de ceteris locis doceant. *Ibd.* 1, 13: „Audi ergo, sapientiae columen et norma Catoniana severitatis“; *ibd.* 2, 2: „Dicit se primum respondere rumoribus, quibus illius Romae carpatur fides, hominis probatissimi tam in fide quam in charitate“... *ibd.* 2, 15: „iam tunc tibi proferam librum tuum, de quo in famosa illa praefati uncula paeclari operis tui hic verbis loqueris“; *ibd.* 2, 20: „Quaeso te, amice carissime, ut... huiuscemodi deliramenta dimittas...“ *ibd.* 3, 27: „Audi ergo, vir sapientissime et Romanae dialecticae caput..“ *ibd.* 3, 42: „Hoc solum requiro ab eximia sanctitate et censura tua (cuius tanta est puritas, ut ad sudaria et semiunctia tua daemones rugiant). cuius exemplum in scribendo sequaris?“ Horum similia in Hieronymi apologiis invenies sescenta; cf. praeterea *ibd.* 1, 3; 1, 30; 2, 11; 2, 21; 3, 3; 3, 7; 3, 8; 3, 19; 3, 20; 3, 21; 3, 29; 3, 37, 3, 42.

⁵³) Cf. praeterea, *ibd.* 3, 32: „...tu iactanter laudatum te esse conge-minas“.

⁵⁴) Cf. Greg. Nazianz. *or. adv. Iul.* 1, 72: Πῶς οὐδὲ ταῦτά σοι φοβερά, ὡς λίαν τολμηρά σὺ καὶ θανατῶν, εἰπερ ἄλλος τις.

Contemptus, quo Hieronymus adversus Rufinum imbutus erat; necnon eius ira vel optime exprimuntur vocum contumeliosarum serie, quibus Hieronymus in Rufinum debacchari videtur. Quibus contumeliis magnam partem Hieronymus Rufinum iam post eius obitum lacerat. (Quam acerbe Seneca philosophus Claudium mortuum satira sua exagitet, unicuique notum esse satis credimus).

Contumeliarum agmen ducunt tales voces, ut: mutum animal, serpens, scorpius, Scylla, hydra, coluber tortuosus, vipera venenatissima... Cum iam anno proximo de contumeliis Hieronymianis disputatiunculam in lucem ederim, licet inspiciamus nunc nonnulla exempla: *prol. in lib. 10 comment. in Isai*⁵⁵): „Audio praeterea scorpium, mutum animal et venenatum, super responsione quondam commentarioli mei in Danielem prophetam nescio quid mussitare immo ferire conari, in suo pure moriturum“⁵⁶).

Praef. in lib. 6 comment. in Ezech.: „Putabam quod medio serpente confosso non reviviscerent hydrae novella plantaria et iuxta fabulas poetarum Scylla mortua nequaquam in me Scyllaei saevirent canes, qui latrare non cessant...“

Aliquot annis postquam Rufinus mortuus est⁵⁷), his verbis scribit de eo Hieronymus ad Eustachium (*praef. in comment. in Ezech.*): „Verum quia et tu indesinenter hoc flagitas et magno vulneri cicatrix obducitur Scorpiusque inter Enceladum et Porphyriionem Trinacriae humo premitur et hydra multorum capitum contra nos aliquando sibilare cessavit... aggrediar Ezechielem prophetam“.

In epistola ad Pammachium anno 402 scripta, quaerit vir sanctus (*epist. 97, 1*): „Ubi nunc est coluber tortuosus? ubi venenatissinia vipera? ‘Prima hominis facies utero commissa luporum’. Ubi haeresis, quae sibilabat in mundo et me et papam Theophilum sui iactabat erroris latratuque impudentissimorum canum ad inducendos simplices nostrum assentiebatur assensum... Atque utinam serpentina generatio aut simpliciter nostra fateatur aut constanter defendat sua, ut scire valeamus, qui nobis amandi sint, qui cavendi“.

⁵⁵) Scriptus ante annum 398.

⁵⁶) Notum est Rufinum hydropisi, sive aqua intercuti, laboravisse, immo et mortuum eo morbi genere esse (huc refer Hieronymi verba dicentis: „Grunnium in suo pure moriturum esse“). Cf. adnot. c) in edit. Migne (*Patr. Lat. XXV*, col. 1255).

⁵⁷) Anno 410.

Gregorius Nazianzenus similiter quoque Iulianum Apostatam mortuum insectabatur cf. or. c. *Iul.* 1, 1: ἀκούσατε... πᾶσα δύναμις τῶν οὐρανῶν, πάντες ἄγγελοι, οἵς ἔργον ἡ τοῦ τυράννου κατάλυσις... καθελοῦσι... τὸν δράκοντα, τὸν ἀποστάτην, τὸν νοῦν τὸν μέγαν, τὸν Ἀσσύριον, τὸν κοινὸν ἀπάντων ἐκθρὸν καὶ πολέμιον, τὸν πολλὰ μὲν ἐπὶ γῆς μανέντα καὶ ἀπειλήσαντα, πολλὴν δὲ ἀδικίαν εἰς τὸ ὄφος λαλήσαντα τε καὶ μελετήσαντα.

Ut malas artes Rufini et vitia suggillet, etiam atque etiam vocat eum *Calpurnium*⁵⁸⁾. Anno 402 haec scribit sanctus presbyter ad Augustinum (*epist.* 102, 3): „Misit mihi temeritate solita sua maledicta Calpurnius cognomento Lanarius, quae ad Africam quoque studio eius didici pervenisse...“ Cf. praeterea *epist.* 70, 6; *adv. Ruf.* 1, 29; 3, 28.

Etiā Grunnii nomine eum carpit⁵⁹⁾, quae vox ad suem, animal immundum, alludere videtur⁶⁰⁾, *epist.* 125, 18: „Testudineo Grunnius incedebat ad loquendum gradu...“ In principio lib. 4. *comment. in Ierem.*: „haeresis,... quae prius in Origene et dudum in discipulis eius Grunno Euagrioque Pontico et Ioviniano iugulata est, coepit reviviscere...“ Cf. praeterea: *praef. in lib. 1 comment. in Ierem.*; *comment. in Ierem. lib. 1.* (*Patr. Lat.* XXIV 848—49); *comment. in Ierem. lib. 5.* (*Patr. Lat.* XXIV 889).

Rufini discipulos contemptim vocat Hieronymus Grunnianam familiam et Grunnianam factionem: *Comment. in Ierem. lib. 5.* (*Patr. Lat.* XXIV 896): „Quae cum audiunt discipuli eius et Grunnianae familiae stercora, putant se divina audire mysteria“. Cf. *comment. in Ezech. lib. 10.* (*Patr. Lat.* XXV 323).

Alibi vocat eum excetram et Sardanapalum: *praef. in lib. 2. comment. in Abac.*: „Sibilet igitur excetra⁶¹⁾ et Sardanapalus insultet turpior vitiis quam nomine⁶²⁾. Cf. *comment. in Nahum* (*Patr. Lat.* XXV, 1261).

⁵⁸⁾ Cf. I. Brochet, *op. laud.* 370. 1, 2.

⁵⁹⁾ Cf. Cavallera, *op. laud.* 1, 2 p. 133: „Rufin sous le non devenu habituel à Jérôme, de Grunnius“.

⁶⁰⁾ Cf. *epist.* 119, 11: „Cur me lacerant amici mei et adversum silentem crassae sues grunnint? Praef. in lib. 12 comment. in Isai: „Testamentum autem Grunnii Corocottae Porcelli decantabant scholis puerorum agmina cachinnantium“.

⁶¹⁾ Excetra apud Plautum hydram significat.

⁶²⁾ Animadertas velim allusionem ad Rufini nomen hic perspicuam.

Non abs re mihi esse videtur hic etiam monere Hieronymum non pepercisse Melaniae, quae Rufino faveret. Cum amicitiae vinculum propter bellum cum Rufino coortum ruptum esset, nomen Melaniae e Chronicis eiecit; praeterea ita nomen eius (Graece μελανία) interpretatus est⁶³⁾ (*epist.* 132, 3): „cuius nomen testatur perfidiae tenebras“⁶⁴⁾.

Contempsim tractabat quoque *Cicero* homines, qui Verri, Antonio... adhaerebant, ut (*Phil.* 2, 15): „Hodie non descendit Antonius. Cur? Dat nataliciam in hortis? Cui? neminem nominabo: putatote tum Phormioni alicui, tum Gnathoni⁶⁵⁾, tum etiam Ballioni. O foeditatem hominis flagitiosam! o impudentiam, nequitiam, libidinem non ferendam!“

ADVERSUS VIGILANTIU M.

Vigilantius presbyter Hispaniensis quaedam nova dogmata commentus est, quae tamen nullo pacto a Christianis accipi possent. Nam inter alia negabat martyres aut eorum reliquias esse venerandas aut ad eorum sepulcra in ecclesiis esse vigilandum; tum clericos minime debere esse caelibes dicebat, pudicitiam autem et continentiam non esse necesse servari. Contra quae dogmata haeretica sanctus presbyter ‘unius noctis lucubratione’ (anno 406) respondit⁶⁶⁾.

Paulinus Nolanus, qui ex eadem regione (scil. Aquitania) atque Vigilantius erat, litteris commendavit Hieronymo Vigilantium, cum pietatis ergo in Palaestinam proficisceretur⁶⁷⁾.

⁶³⁾ Melaniā vocationem Hieronymus ‘sanctam’ in *epist.* 3, 3 et 4, 2.

⁶⁴⁾ Cf. *Seligia, op. laud.*, p. 408.

⁶⁵⁾ Parasitorum nomina in Terentii comoediis.

⁶⁶⁾ *Gennadius, d. vir. illustr.* c. 35 (*Patr. Lat.* 58, c. 1078): „Vigilantius presbyter, natione Gallus, Hispaniae Barcilonensis parochiae ecclesiam tenuit. Scripsit et ipse zelo quidem religionis aliqua; sed seductus humana laude et prae sumens supra vires suas, homo lingua politus, non sensu Scripturarum exercitatus, exponit pravo ingenio secundum visionem Danielis et alia locutus est frivola, quae in catalogo haereticorum necessario ponuntur. Huic et B. Hieronymus presbyter respondit“. De Vigilantio praeterea scripserunt: W Schmidt, *Vigilantius u. sein Verhältniss zum heiligen Hieronymus*. München 1860. W. S. Gilly, *Vigilantius and his times*. London 1844, tum J. Brochet, *op. laud.* p. 429 sqq.

⁶⁷⁾ Cf. Grützmacher, *op. laud.* 3, 154.

Hieronymus in exordio epistolae, quam circa annum 395 scripsit, haec Paulinum certiores facit (*epist.* 58, 11): „Vigilantium presbyterum qua aviditate suscepimus, melius est, ut ipsius verbis quam meis discas litteris: qui cur tam cito a nobis profectus sit et nos reliquerit, non possum dicere, ne laedere quempiam videar. Tamen quasi praetereuntem et festinantem paululum retinui et gustum ei nostrae amicitiae dedi, ut per eum discas, quid in nobis desideres“.

Decem annis post Hieronymus eundem Vigilantium quam vehementissime exagitat. Librum polemicum vir sanctus in animi sui statu perturbato exaravit⁶⁸⁾.

Iam ipsum *nomen Vigilantii*, qui ut nuper notavi, vigilias ad sepultra martyrum in ecclesiis impugnabat, facilem materiam Hieronymo ad irridendum praebuit; quod nomen vir sanctus aut *χατ' ἀντίφραστον* Dormitantio mutabat aut etymologias ab eo ducebat (*adv. Vigil.* 1): „Exortus est subito Vigilantius seu verius Dormitantius“. Cf. praeterea *ibid.* 2, 4, 8, 15, 17; *epist.* 99, 1.

Saepius usurpat Hieronymus, cum de Vigilantio verba facit, verba vigilandi et dormiendi, ut *adv. Vigil.* 6: „Tu vigilans dormis et dormiens scribis“ vel *epist.* 99, 3: „Nam quod dico eum vigilias exsecrari, facit et hoc contra vocabulum suum, ut velit dormire Vigilantius et non audiat Salvatorem dicentem: Sic non potuistis una hora vigilare mecum. Vigilate et orate... Dormiat itaque Vigilantius et ab exterminatore Aegypti cum Aegyptiis dormitans suffocetur“. Cf. praeterea *adv. Vigil.* 5, 7, 8, 9, 11, 15, 17; *epist.* 99, 1⁶⁹⁾.

Ciceronem quoque libentissime etymologias e nominibus (e. gr. *Verris*, *Vatinii*)⁷⁰⁾ duxisse omnibus notum est⁷¹⁾.

Ut Ecclesiae adversarium in contemptum et odium vocet, hoc modo de originis eius loco commemorat (*adv. Vigil.* 4): „Nimirum respondet generi suo, ut qui de latronum et convenarum natus est semine (quos Cn. Pompeius edomita Hispania et ad triumphum redire festinans de Pyrenaei iugis depositus et in unum

⁶⁸⁾ Cf. J. Brochet, *op. laud.* p. 435.

⁶⁹⁾ Fusius de his etymologiis Hieronymianis: *Seligia*, *op. laud.* p. 407—09.

⁷⁰⁾ Cf. e. gr. *Vat.* 6: „Quae tu vaticinando sperare te saepe dixisti“.

⁷¹⁾ De hac re vide *Seligia*, *op. laud.* p. 408—410.

oppidum congregavit: unde et Convenarum urbs nomen accepit) hucusque latrocinetur contra Ecclesiam Dei“⁷²⁾.

Originis ignobilitatem exprobrat quoque iterum ac saepius Cicero suis adversariis ut e. gr. *Phil.* 3, 17: „Quae porro amentia est eum dicere aliquod de uxorum ignobilitate... cuius pater Numitoriam Fregellanam, proditoris filiam, habuerit uxorem, ipse ex libertini filia suscepit liberos“. Cf. praeterea *ibid.* 13, 23; *Pis.* 7, 14, 34, 62....

Demosthenes autem ita Aeschini ignobiles parentes obicit (*d. cor.* 129): „Οὐκ ἀπορῶ δὲ διὰ χρή περὶ σοῦ καὶ τῶν σῶν εἰπεῖν, ἀπορῶ, τοὺς πρώτους μνησθῶ, πότερός ὁ πατήρ σου Τρόμης ἐδούλευε παρ’ Ἐλπίδᾳ τῷ πρὸς τῷ Θεοτείῳ διδάσκοντι γράμματα, χοίνικας παχείας ἔχων καὶ ἔύλον, ἢ ὡς ἡ μῆτηρ τοῖς μεθυμερινοῖς γάμοις ἐν τῷ κλισίῳ τῷ πρὸς τῷ Καλαμίτῃ ἥρωι χρωμένῃ τὸν καλὸν ἀνδριάντα καὶ τριταγωνιστὴν ἄκρον ἐξέθερψε, ἀλλ’ ὡς ὁ τριηραύλης Φορμίων, ὁ Δίωνος τοῦ Φρεαρρίς δοῦλος ἀνέστησεν αὐτὴν ἐπὶ ταύτης τῆς καλῆς ἑργασία. De educatione annisque iuvenilibus Aeschinis quae dicat Demosthenes, inspicias *ibd.* 258, 259, 263.

Despicatui dicit etiam pristinum Vigilantii *negotium*, quod videtur aliquando exercuisse. Atra bili exercet Vigilantium, cum clamat (*adv. Virgil.* 1): „Iste caupo Calagurritanus et in perversum propter nomen viculi mutus Quintilianus miscet aquam vino et de artificio pristino suae venena perfidiae catholicae fidei sociare conatur⁷³⁾. Cf. praeterea *ibd.* 8: „Et non solum unius urbis sed totius

⁷²⁾ Huic loco subiungi potest aliud, ubi Hieronymus Basilidis haeretici, qui eisdem regionibus ortus est, recordatur (*ibid.* 6): „...quia ad radices Pyrenaei habitas vicinusque es Iberiae, Basilidis antiquissimi haeretici et imperitae scientiae incredibilia portenta prosequeris et proponis quod totiens orbis auctoritate damnatur“.

Hic non alienum videtur laudare *Catulli* versus, quibus quendam Egnatium, origine Celtiberum, alloquens ita de eius terra scribit (c. 39): Nunc Celtiber es: Celtiberia in terra, quod quisque minxit, hoc sibi solet mane dentem atque russam defricare gingivam, ut qui iste voster expolitior dens est, hoc te amplius bibisse praedicet leti. Cf. A. Kurfess, *Die Invectivenpoesie der sullanisch - cäsarischen, augusteischen und nach-augusteischen Zeit*. (Progr.) Wohlau 1915, p. 8.

⁷³⁾ In nota ad hunc locum (in edit. Migne) legimus: „Non ut Victorius putat, quod conterraneus Quintiliano Vigilantius fuerit, sed quod cognominem uterque patriam habuit Calagurrim. Illa vero Quintiliani in Hispania civitas fuit, huius autem viculus propter Convenarum urbem, unde et in perversum accepto nomine mutus Quintilianus hic dicitur“.

orbis errant episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes...“
Cf. Demosthenes, *d. cor.* 129, 262, 265.

Cultum habitumque corporis Vigilantii breviter sed quam vividissimis coloribus depingit, cum dicat eum vocari posse (*ibd.* 10): „...certe Liberum Patrem pro ebrietate et cantharo ex humeris dependente et semper rubente facie et spumantibus labiis effrenatisque conviciis“.

Hic conferri potest *Cicero*, *in Vat.* 10, 14, 16, 39.

Iam aliquot annis antequam Hieronymus invectivam suam adversus Vigilantium scripsit, *imperitiam eius*, qua potest ratione impugnat et deridet. Itaque in *epist.* 61, 3 omnia temptat, ut adversarii iactationem vocibus gravioribus obtundat: „Non parum est scire quod nescias: prudentis hominis est nosse mensuram suam nec zelo diaboli concitatum imperitiae suae cunctum orbem testem facere. Scilicet et gloriari cupis et in patria tua iactitas me non potuisse respondere eloquentiae tuae et acumen in te Chrysippi formidasse...“ Tum acerbioribus verbis eum vir sanctus alloquitur: „obsecro te, frater, ne plus velis sapere, quam sapis, ne vel innocentiam vel simplicitatem tuam vel certe ea, quae taceo et te non intelligenti ceteri intelligunt, stilo proferas et ineptiarum tuarum cunctis cachinnum praebeas. Non est eiusdem hominis et aureos nummos et scripturas probare et degustare vina et prophetas vel apostolos intelligere“. Quam allocutionem denique his verbis ironice claudit: „Solus es Cato Romani generis disertissimus, qui testimonio tuo et prudentiae velis credere“.

Lepidum in modum carpit Vigilantii imperitiam in eadem epistula, cum haec superioribus subiungat (*ibd.* 4): „Quamobrem desine me lassere et voluminibus tuis obruere. Parce saltem nummis tuis, quibus notarios librariosque conducens, eisdem et scriptoribus uteris et fautoribus: qui te ideo forsitan laudant, ut lucrum in scribendo faciant. Si libet exercere ingenium, trade te grammaticis atque rhetoribus, disce dialecticos, sectis instruere philosophorum, ut cum omnia didiceris, saltem tunc tacere incipias. Quamquam stulte faciam magistro cunctorum magistros quaerere et ei modum imponere, qui loqui nescit et tacere non potest. Verum est illud apud Graecos proverbium ὅνῳ λόρα“⁷⁴⁾.

⁷⁴⁾ His adici possunt haec ab Hieronymo ironice dicta (*epist.* 61, 2): „Tibi soli licet τῷ σοφοτάτῳ κρανίῳ de cunctis et Graecis et Latinis tractatoribus ferre sententiam...“

Omnia in Vigilantio incondita presbytero venerabili esse videntur (*ibd.* 3): „Est quidem imperitus et verbis et scientia et sermone inconditus“. In epistula ad Riparium data (*epist.* 109, 4) opera Virgilantii ‘naenias et ineptias’ dicit. Cf. *Demosthenes d. corona* 128, ubi Aeschinis imperitia vexatur.

Nec adhuc satis. Vigilantius Hieronymi sententia *tamquam furiosus* habendus est, quippe qui omnia intolerabilia dicat (*epist.* 109, 1): „Plus aliquid dicam, quod redundet in auctoris caput et insanum cerebrum vel sanet aliquando vel deleat, ne tantis sacrilegiis simplicium animae subvertantur...“ *Ibd.* 2: „O praecidendum linguam a medicis, immo insanum curandum caput, ut qui loqui nescit, discat aliquando reticere. Ego vidi hoc aliquando portentum et testimentiis Scripturarum, quasi vinculis Hippocratis nolui ligare furiosum; sed abiit, excessit, evasit, erupit...⁷⁵⁾. Quidquid enim amens loquitur, vociferatio et clamor est appellandus“; *ibd.* 4: „Galliae vernaculum hostem sustinent et hominem moti capitibus atque Hippocratis vinculis sedentem cernunt in Ecclesia“.

Aliquoties Hieronymus *vinolentiam* ei exprobrat. De libro, quem Vigilantius scripsit, dicit vir sanctus (*adv. Vigil.* 3): „inter crapulam stertens evomuit“. Quod vitium alludit etiam in *epist.* 109, 1: „ut post multa saecula Dormitantius somniaret, immo eructaret immundissimam crapulam...?“

Vinolentiam exprobrat quoque *Cicero* Antonio passim, ut *Phil.* 2, 63: „O rem non modo visu foedam, sed etiam auditu!... in coetu... populi Romani, negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructari turpe esset, is vomens frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum et totum tribunal implevit“. Cf. praeterea *ibid.* 2, 42; 2, 75; 2, 84; 2, 104... 5, 20; 13, 31...

In memoriam revocat quoque Vigilantii tabernas, ubi homines ad bibendum invitabantur (*adv. Vigil.* 13): „Videris mihi dolere et aliud, ne, si inoleverit apud Gallos continentia et sobrietas atque ieiunium, taberna tuae lucra non habeant et vigilias diaboli ac temulenta convivia tota nocte exercere non possis“. *Ibid.* 6: „inter mulierum textrinas cantato, immo legendas (scil. fictas re-

⁷⁵⁾ Cf. *Cicero*, *Catil.* 2, 1; (C. Kunst, *De S. Hieronymi studiis Ciceronianis*. Vindobonae 1918. p. 204: „Quo loco sua sponte scriptor, ut quasi alterum Catilinam haereticum notaret presbyterum, Ciceronis de proditore illo verbis usus est clarissimis“).

lationes) propone in tabernis tuis, ut tacitus per has naenias vulgus indoctum provokes ad bibendum“.

Quo melius vitae Vigilantii mores ostentui proponat, hoc modo Hieronymus *de habitu eius impudico* narrat (*ibid.* 11): „Unde et in hac provincia cum subitus terrae motus noctis medio omnes de somno excitavisset, tu prudentissimus et sapientissimus mortalium nudus orabas et referebas nobis Adam et Evam de paradiiso: et illi quidem apertis oculis erubuerunt nudos se esse cernentes et verenda texerunt arborum foliis; tu et tunica et fide nudus subitoque timore perterritus et aliquid habens nocturnae crapulae sanctorum oculis obscoenam partem corporis ingerebas, ut tuam indicares prudentiam“. Qua de causa indignationi suae laxiores habenas permittit et clamat: „Tales habet adversarios Ecclesia; hi duces contra martyrum sanguinem dimicant; huiuscemodi oratores contra apostolos pertonant, immo tam rabidi⁷⁶⁾ canes contra Christi latrant discipulos“.

Per convicium laedit adversarium voce ‘canis’ (*ibid.* 6): „Me liorque erit Vigilantius canis vivens quam ille leo mortuus?“ Huc spectat quoque verbum latrandi (*ibid.* 13): „Videlicet, si ad haec respondero, statim latrabis meam me causam agere...“

Multis in locis, ubi de Vigilantio Hieronymus verba facit, contemptum ac despectum erga hostem Ecclesiae varium in modum exprimit, ut *ibid.* 8, ubi verba eius „de barathro pectoris caenosam spurcitiam“ dicit.

Ipsum Vigilantium *serpentem* vocat linguaeque eius epitheton vipereae infigit (*ibid.* 16): „Nulla securitas est vicino serpente dormire. Potest fieri, ut me non mordeat, tamen potest fieri, ut aliquando me mordeat“. *Ibid.* 15: „Nec a suo studio monachi deterrendi sunt a te lingua viperea⁷⁷⁾ et morsu saevissimo“.

Interdum ira correptus in προσφωνήσει convicia ei infigit, ut *ibid.* 8: „O portentum in terras ultimas deportandum!“ *ibid.* 5: „Quis enim, o insanum caput⁷⁸⁾, aliquando martyres adoravit?“

⁷⁶⁾ Cf. *adv. Ruf.* 3, 19: „Scio a quo illius (scil. Vigilantii) contra merabies concitata sit, novi cuniculos tuos“.

⁷⁷⁾ Cf. *epist.* 111, 4: „O praecidendam linguam ac per partes et frusta lacerandam!“ *epist.* 69, 1: „Et consurgit mihi Caina haeresis atque elim emortua vipera contritum caput levat“.

⁷⁸⁾ In *epist.* 109, 1 inter alia haec scribit vir sanctus in Vigilantium: „insanum cerebrum vel sanet aliquando vel deleat“.

Cf. Demosthenes, *d. cor.* 153 (de Aeschine): ...ἴν'εἰδῆτε ἡλίκα πράγματα ἡ μιαρὰ πεφαλὴ ταράξασα αὗτη δίκην οὐκ ἔδωκεν.

Quam acriter Hieronymus Vigilantium eiusque doctrinam iam duobus annis ante exceperit, optime patet ex epistola ad Riparium data, ubi haec scribit amico suo (*epist.* 109, 3): „Tacita me forsitan cogitatione reprehendas, cur in absentem invehar. Fatebor tibi dolorem meum, sacrilegium tantum patienter audire non possum... Non est crudelitas, pro Deo pietas“.

ADVERSUS PELAGIUM.

Doctrinae haereticae, quam *Pelagius*⁷⁹⁾, natione Scotus, Hierosolymae docebat, haec summa per id temporis erat: posse homines, si velint, sine peccato esse: divinae gratiae necessitatem arbitrii libertati officere⁸⁰⁾. Contra quam doctrinam presbyter venerabilis dialogum scripsit anno, ut videtur, 415. Praeterea multis aliis locis in operibus suis eius mentionem facit, interdum verbis gravioribus eum persecutus. Quae pugna cruenta, ultimum ut videtur, Hieronymi bellum finivit.

Imprimis *mentis hebetudinem* Pelagio obicit stolidissimumque vocat, cum hoc modo de eo in proem. in lib. 1 comment. in Ierem. loquatur: „Nec recordatur stolidissimus et Scotorum pulibus praegravatus... tunc animadverteret alienis se vocibus blasphemare et in tantum esse imperitum, ut ne maledicta quidem habeat propria, sed inimicorum etiam olim sepulchorum contra nos utatur rabie“.

Tum *patriam Pelagii contemptui ducit* ipsumque contumelia afficit, Albinum canem eum adnominans (*proem. in lib. 3 comment. in Ierem.*): „Ipseque mutus latrat per Albinum canem grandem et corpulentum et qui calcibus magis possit saevire quam dentibus.

⁷⁹⁾ Cf. Am. Thierry, *Saint Jérôme et la Société chrétienne à Rome et l'émigration romaine en Terre Sainte.*³ Paris 1867, p. 392: „Le vrai nom de Pelage ou Pelagius était Morgan, mot qui... signifie *homme de mer*“.

⁸⁰⁾ Cf. admonitionem in hunc librum (*Patr. Lat.* 23, col. 513–14). Cf. praeterea Gennadius *d. v. illustr. c. 42* (*Patr. Lat.* 58, col. 1085): „Pelagius natione Scotus, ex Britannia oriundus (unde et Brito nuncupatur) monachus in Palaestina cum esset, adversus gratiam Christi pestilentissimum dogma, cum discipulo suo Caelestio concepit animo. Pelagius stylo primum a S. Hieronymo, post ab Augustino damnatus est 417“.

Habet enim progeniem Scoticae gentis et Britannorum vicinia; qui iuxta fabulas poetarum instar Cerberi spirituali percutiendus est clava, ut aeterno cum suo magistro Plutone silentio conticescat“.

Aliquoties obicit vir sanctus Pelagio *superbiam insolitam* (*adv. Pelag.* 3, 14): „De hoc superbiae tumore et illa orandi pro-rumpit audacia, qua scribens ad viduam, quomodo Sancti debeant orare, pronuntias... Christiani est haec an Pharisaei superbientis oratio?“ *Ibd.* 16: „Oratio ergo tua Pharisaei vincit superbiam et publicani comparatione damnatur“...

Aliquit annis post dialogum contra Pelagianos scriptum in epistola, circa a. 417 data, doctor Ecclesiae Pelagium *Catilinam* vocat (*epist.* 138, 1): „...tamen scias in hac provincia nullis humanis auxiliis sed proprie Christi sententia pulsum esse non solum de urbe sed de Palaestinae quoque finibus Catilinam⁸¹⁾ nosque dolere plurimum, quod cum Lentulo⁸²⁾ multi coniurationis socii remanserunt...“

In *epistola* 132, 9 sacrilegum eum appellat: „Audite, quaeso, audite sacrilegum... Audi ingrate, immo sacrilege, Apostolum praedicantem...“

CONCLUSIONES.

Omnibus locis supra allatis attente circumspectis facile coligi potest sanctum patrem, qui in schola rhetorica a puero, ut ipse saepius testatur⁸³⁾, edoctus sit ibique omnia rhetorum myrothecia compilaverit, etiam in invectivis suis, quibus adversarios

⁸¹⁾ Nemo aliis hic sub nomine Catilinae intelligendus est, nisi Pelagius eiusque sectatores, Rufinus enim cum Hieronymo reconciliatus iam ab anno 397 e Palaestinae finibus discesserat. (Cf. notam a) in hunc locum in Migne 24, col. 1165; cf. praeterea Grützmacher, *op. laud.* 3, 277¹). Patriam ac barbaros eius mores recordari videtur Hieronymus, cum haec scribit in *epist.* 132, 9 (circa a. 415): „...Neque enim Britannia fertilis provincia tyrannorum et Scoticae gentes omnesque usque ad Oceanum per circuitum barbarae nationes Moysen prophetasque cognoverunt“.

⁸²⁾ Quem Catilina noctu Roma evadens in urbe cum coniuratis reliquit.

⁸³⁾ Cf. *Patr. Lat.* 26, 332; *ibid.* 27, 687—88; Cavallera, *op. laud.* 1, 1 p. 9—10; *ibid.* 1, 1 p. VII: „Ce n'est pas en vain, que Jérôme avait pris, comme étudiant de rhétorique sa large part des controverses fictives, ou suivi avec assiduité les audiences des tribunaux romains, ou s'inventai-vaient les avocats“.

fidei catholicae adoriretur, nihil aliud, nisi exempla sibi olim puerō oblatā secutum esse.

Ut olim *Demosthenes* et *Marcus Tullius* cum adversariis, tum *Paulus Apostolus*⁸⁴⁾ et *Ioannes Chrysostomus* cum hominum moribus in dies labentibus, bella gerebant, sic etiam Hieronymus fidei defensor propugnatorque vehementissimus, omnia temptabat, ut adversarios non solum refutaret vinceretque, sed etiam poenam quam acerrimam ab eis sumeret.

Quo factum est, ut saepius apud presbyterum Stridonensem loca quaedam recurrent, quae quamvis *e rhetorum scholis veterumque oratorum usu et ratione* manaverint, tamen a sensu moribusque Christianis nostri temporis plane abhorrere videantur. Neque mirum: nam multa, quae olim licebant, nunc nullo facto renovari possunt. Quod iam e contumeliis Hieronymianis, quas nuper colligendas curavi, perspicuum manifestumque unicuique fore mihi persuasum est.

Itaque quo melius adversariorum audaciam obtundat despiquetique eos ponat, ut iam vidimus, *nomina eorum*, ubicumque potestas datur⁸⁵⁾, *deridet*, id quod vidimus etiam apud Ciceronem, qui libentissime de adversariorum nominibus iocari solebat⁸⁶⁾.

Tum *originem ignobilem* Hieronymus adversariis exprobrat vitaeque peractae maculas privatasque ignominias in lucem protrahit, ut: Vigilantii, Helvidii, Sabiniani. Apud Ciceronem eandem lacessendi insectandique rationem saepius offendimus, ut in orationibus: in Pisonem, in Antonium.

Deridet Hieronymus *habitum* quoque *cultumque* adversariorum, quo facilius eorum auctoritas infringatur vel ut irae suae habenas permittat⁸⁷⁾. Nonnumquam etiam negotia eorum despiciatudicit, ut Ioviniani, Vigilantii. Tum *pravos mores* eorum depingit vitaeque rationem perversam exagitat.

⁸⁴⁾ Cf. Hier. *epist.* 48, 13: „Paulum Apostolum proferam, quem quotiescumque lego, videor mihi non verba audire sed tonitrua. Legite epistulas eius et maxime ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est“.

⁸⁵⁾ E. gr. Iovinianum, Vigilantium, Melaniām.

⁸⁶⁾ E. gr. de talibus nominibus ut: Verres, Apronius...

⁸⁷⁾ Cf. Seliga, *De Cicerone testium vexatore*. Eos XXVII, 1925, p. 104 sqq.

Quibus potest adversariis *ignorantiam imperitiamque* obicit; quod crimen nihil aliud sibi proponere videtur, nisi ut a lectoribus propter animi imbecillitatem flocci pendantur. Sermonem eorum scriptaque irridet, cum vitia ubique deprehendere videatur.

Saepissime tamen in Hieronymi invectivis *crimen mentiendi* recurrit, quod sanctus pater adversariis obicit. Quod crimen a plurimis antiquitatis oratoribus usurpatum esse satis notum est⁸⁸⁾.

Scite ac solito fusius utitur Hieronymus *ironia*, qua adversarios quam acerrime impugnat aciemque telorum hostilium obtundit⁸⁹⁾. Qua in re denuo se cum ceteris oratoribus antiquis tum imprimis Ciceroni simillimum ostendit.

Praeterea *contemptus* sagittas, quibus unusquisque adversariorum ei dignissimus videbatur, nec aetatis nec morum discri mine facto, libentissime in eos iacula batur. Hic pertinere videntur, praeter cetera, illae voces contumeliosae⁹⁰⁾, quibus Hieronymi invectivae epistulaeque prorsus scatent.

*Difficile fuerit nonnunquam sanctum patrem crimine paulo acrioris adversariorum insectationis liberare*⁹¹⁾ idque nobis documento esse videtur eum natura sua admodum irritabilem fuisse, tum, quae ad fidem catholicam defendendam pertineant, defen-

⁸⁸⁾ Cf. *ibid.* p. 105.

⁸⁹⁾ Cf. *ibid.* p. 105 sqq.

⁹⁰⁾ Seliga, *Quibus contumeliis Hieronymus adversarios carpserit*. Eos XXXIV 1932/33.

⁹¹⁾ Cf. Cavalier, *op. laud.* 1, 1 p. VII: „De nature fort prime sauti ère, ressentant avec une vivacité singulière impression fâcheuse, et s'y abandonnant sans réserve, il exprimait avec force et sans menagement. Son éducation littéraire loin d'atténuer ces dispositions, avait contribué à les exagérer... (Les lois de la charité) n'étaient guère en question quand il s'agissait de polémique, et (les lois de la vérité) comportaient dans les moeurs littéraires du temps, des libertés beaucoup plus étendues que de nos jours“. *Ibid.* I, 1, p. VII—VIII: „La polémique n'est pas la dogmatique. Celle-ci demande un exposé franc et loyal. Celle-là est une escrime qui requiert l'habileté dans la flinte et la souplesse. L'adversaire doit se parer contre les ruses et s'attendre, quand on lui présente du pain, à recevoir une pierre. Ainsi ont agi non seulement les écrivains profanes, mais aussi les chrétiens, dans la controverse exprimant moins leurs sentiments intimes que réclamerait la situation. Chaque genre a ses lois, qu'il faut suivre et d'après lesquelles il faut juger les écrits“.

sorem infatigatum se praebuisse omniaque temptavisse, ut adversariorum aciem infringeret.

Itaque haud scio an optimum sit disputatiunculam meam ipsius Hieronymi verbis finire, quae in *epistula* 31, 1 leguntur: „Apud Deum enim nihil voluptuosum, nihil tantum suave placet, nisi quod in se habet mordacis aliquid veritatis“.

Varsaviae

Stanislaus Seliga.